



# Zelandia

<https://hdl.handle.net/1874/349818>

ZELANDIÆ COMITATVS.

54



Blonk  
ZEE-10

## HOLLANDIÆ COMITATVS.

**H**ollandia vbique ferè mari, Mosa, Rhenique ostijs, instat peninsula septa est, non admodum spatioſa, vt quæ sexaginta milliaribus nostratis in orbem tantum pateat. Cōtinet tamen vnde triginta vrbes muris cinctas. quæ sunt *Dordracum*, ante centum quinquaginta plus minus annos insula maris inundatione facta: hæc quatuor fluminibus alluitur. Vrbs est potens, ciuibus locupletis, habitata, & pulcherrimis aedibus tam publicis quam priuatis exculta. Magnus hic mercatorum confluxus: est enim hic nundinatio seu (ut vulgo vocant, Teutonica voce *faapel*) stabulum Rhenensis vini, frumenti, aliarumque mercium, quæ Reno, Mosaque in has regiones nauigio venia importantur. *Harlemiam*, amplissima hæc est totius Hollandiæ urbs, sita loco per ameno. Moenia egressis statim occurrit nemusculum, quo ciues se festis diebus à labore & curis refocillent, idoneum. Delphi à fossa quam *Delft* vulgo appellant, nomen habent. Lanificium hic ciues exercent. Optima hæc etiam cereuisia coquuntur, quæ plurima in Zelandiam aportatur. *Leyda*, ad Rhenum non longè ab eius olim ostio, quod nunc arena obstructum cernitur. Opidum huius regionis vetustissimum putatur, à Legione enim Romana hic olim hibernante nomen habere credunt, vocantque latini voce *Lugdunum Batavorum*, *Gouda* à fluui omen habet & incolis frequens est *Amsterodamum*, ad sinum Tia vocatum magnifice exstructum, emporium est populosissimum. Per singulas scèrè plateas Venetiarum instar, nauigio si mauult quām pedestri itinere, negotia sua quiuis obire potest. Secundum ea urbs post Antuerpiam, in mercatura locum apud Belgas habete vulgo perhibetur. *Embusa* ad littus maris, quod vernaculè *Suyderzea* appellant, sita, nauium maximarum fabrica, etiam exteris innotuit. *Horna*, ad eundem sinum posita: Nundina hæc celebrantur mense Maio, ybi butyri caseique maxima copia distrahitur. *Alemaria*: hic locis casei butyrique prouentu ceteris huius regionis ciuitatibus antecellit. *Purmerendum*, arce Comitum Egmundano-rum clarum est. *Edamum*, fabricandis nauibus, & optimis caseis, etiam nomen meruit. *Monichedamum* præ-te-re, *Vvespa*, *Nardena*, *Vvoerda*, & *Aqua veteres*; *Oudevvater* dicunt. Cannabis in huius territorio magna fertilitas, adeo vt hic ferè omnia retia, funes atque rudentes quibus Hollandi, Zelandique in pictionibus vntuntur, conficiant. *Schoonhousia*, quasi bellos hortos dicas. Hic salmonum (quorum hic etiam stabulum, vt vini diximus Dordraci esse) assidua pescatio. Postea est *Isestenum*, *Viana*: Item *Leerdamum*, *Aßera*, & *Huetkelen*, vrbeculæ in orbem ad amnem Lingam sitæ, quingentis passibus dumtaxat ab inuicem distantes *Gorichum*, & *Vvorichum*, ad ripam *Vahalis* fluuij è regione exstructa sunt. Sunt deinde *Huesden*, *Roterodamum*, *Schiedamum*, & vterque Mons, alter à Diua Gertrude, alter à septenario numero notus, *Seuenbergen* & *Geertruyden-berge*. Alia præterea quædam opida habet, vt *Medemblichum*, *Beuero vicum*, *Muidam*, *Neoportum*, *Vlaerdingam*, & *Graue sandam*. Supra quadringentos insuper pagos, inter quos supereminet *Haga Comitis*, iam olim Comitum Hollandiæ, & Senatus prouincie sedes, ob summam loci amœnitatem.

Z PEO 44-